

490.

modo, ut ipse fatetur, proposuisse ipsis ordine concinno omnem *Doctrinam* et *Cognitionem DEI* I. Cor. I, 5. et praecipue concionem de *Christo Crucifixo* inculcavisse, verbis et sermonibus non humanam Sapientiam spirantibus nec tumidis et affectatis, sed planis et perspicuis, gravibus tamen et divino robore pollentibus, imo fulmina nonnunquam in Pseudo-Apostolos vibrantibus: I. Cor. II, 2. 3. 4. adeoque instar prudentis architecti non inanes lacinias Enthusiastarum more, et male sibi cohaerentes contexuisse, sed fundamentum constituisse *Doctrinam* genuinam de *Christo*, I. Cor. II, 10. II. de *DEO* I. Cor. VIII, 4. *statu hominis corrupto*. I. Cor. II, 14. *regeneratione* I. Cor. IV, 15. *justificatione et renovatione*. I. Cor. VI, 11. *Verbo DEI* I. Cor. I, 17. *Baptismo* I. Cor. I, 13. *Eucharistia* I. Cor. XI. *ministerio verbi* I. Cor. IV. et IX. *ritibus adiophoris* I. Cor. XI. et XIV. *resurrectione et vita aeterna* I. Cor. XV. multasque alias doctrinas salvificas deinceps subjunxisse aedificii admodum inter se apte coagmentati et commissuris suis combinati. Quae compositio articulorum inter se doctrinam fidei ideo nullo modo reddebat multiformem, aut a simplicitate sua abluentem, cum sit totum aggregatum, nihil alienum aut heterogeneum admittens ad sui constitutionem, perinde ut compages corporis bene proportionata tres pedes, quatuor manus aut septem digitos minime omnium ferre potest.

## VIII.

In illa *ἀπλότητι* doctrinae fidem suam fundabant atque firmabant Corinthii, eratque revera *sufficientissima* et *abundantissima* ad eos salvandos; Neque dissimulare potest, Apostolus, *nihil ipsis* sic ad veram DEI cognitionem et Salutem deesse. I. Cor. I, 7. Deumque ideo praedicat, *qui incrementum dederit* I. Cor. III, 6. Habebant enim *veram fidem*

B 2

quam